

*Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.*

### **I. Übersetzung**

1 Pompeios, celebrem Campaniae urbem, in quam ab altera parte Surrentinum  
2 Stabianumque litus, ab altera Herculansense conueniunt et mare ex aperto reductum  
3 amoeno sinu cingunt, consedisae terrae motu, uexatis quaecumque adiacebant  
4 regionibus, Lucili, uirorum optime, audiuius, et quidem hibernis diebus, quos  
5 uacare a tali periculo maiores nostri solebant promittere. Nonis Februariis hic fuit  
6 motus, qui Campaniam, numquam securam huius mali, indemnem tamen et totiens  
7 defunctam metu, magna strage uastauit. Nam et Herculansenis oppidi pars ruit dubieque  
8 stant etiam quae relictas sunt, et Nucerinorum colonia, ut sine clade, ita non sine querela  
9 est. Neapolis quoque priuatim multa, publice nihil amisit leuiter ingenti malo perstricta;  
10 uillae uero prorutae, passim sine iniuria tremuere. Adiciuntur his illa: sexcentarum  
ouium  
11 gregem exanimatum et diuisas statuas, motae post hoc mentis aliquos atque impotentes  
12 sui errasse. Quorum ut causas excutiamus, et propositi operis contextus exigit et ipse in  
13 hoc tempus congruens casus. Quaerenda sunt trepidis solacia et demendus ingens timor.  
14 Quid enim cuiquam satis tutum uideri potest, si mundus ipse concutitur et partes eius  
15 solidissimae labant? Si quod unum immobile est in illo fixumque, ut cuncta in se intenta  
16 sustineat, fluctuatur; si quod proprium habet terra perdidit, stare, ubi tandem resident  
17 metus nostri? Consternatio omnium est, ubi tecta crepuerunt et ruina signum dedit.  
18 Quid tibi esse non dico auxilii sed solacii potest, ubi timor fugam perdidit? Quid est,  
19 inquam, satis munitum, quid ad tutelam alterius ac sui firmum? Hostem muro repellam,  
20 et praeruptae altitudinis castella uel magnos exercitus difficultate aditus morabuntur;  
21 a tempestate nos uindicat portus; nimborum uim effusam et sine fine cadentes aquas  
22 tecta propellunt; fugientes non sequitur incendium; aduersus tonitruum et minas caeli  
23 subterraneae domus et defossi in altum specus remedia sunt; in pestilentia mutare sedes  
24 licet; nullum malum sine effugio est; numquam fulmina populos perusserunt; pestilens  
25 caelum exhausit urbes, non abstulit. Hoc malum latissime patet ineuitabile, auidum,  
26 publice noxium. Non enim domos solum aut familias aut urbes singulas haurit; gentes  
27 totas regionesque submergit, et modo ruinis operit, modo in altam uoraginem condit,  
28 ac ne id quidem relinquit ex quo appareat quod non est saltem fuisse, sed supra  
29 nobilissimas urbes sine ullo uestigio prioris habitus solum extenditur.

### **II. Sprachliche Erläuterungen**

1. Charakterisieren Sie die Sprache vor allem hinsichtlich der Syntax und der Wortwahl, und versuchen Sie, den Autor (oder zumindest die Entstehungszeit) des Textes zu bestimmen!